



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CIII. Cur crucifixus Domini latus suu[m] per crudelem militis lanceam voluerit adaperiri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Cornel. in  
Math. 27. 37


ciliaret ac salvaret. Quare hic Titulus, ait Cornelius, fuit Christo summi honoris elogium, ostendit enim ejus non tantum innocentiam, sed & dignitatem, & traducens ac infamans Judæos per totum orbem quasi Christicidas; unde Origenes: Hic titulus, ait, *caput Jesu in sua corona exornat.*

Jo. 19. 22.

8. *Quod scripsi, scripsi*, persistebat Pilatus in sua sententia, nec jota mutabitur, quibus verbis pientissimi Redemptoris nostri excusare voluit innocentiam, quia coactus eum ad mortem condemnavit, & simul accusare Judæorum malevolentiam: *Quod scripsi, scripsi.* Ecce saltem in hoc laudandus est Judex Romanus: idem hic Titulus stare debuit, etiam ringentibus Judæis, quia non est potentia, nec prudentia, nec consilium contra Dominum. Interim imitemur S. Edmundum,

Surius in vita  
16. Nov. c. 3

cui Christus adolescenti & ipse in specie adolescentis apparuit, hunc ipsissimum Titulum in fronte suo aureis præferens litteris: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, monens eum, ut hoc Sacrosanctum Nomen cordi imprimeret, ac fronti inscriberet, fore enim ipsi, ac omnibus similiter facientibus adversum malam ac subitanam mortem magnum præsidium. Si prudens es, imitare exemplum.



## CONSIDERATIO CIII. Cur Crucifixus Dominus latus suum per crudelem militis lanceam voluerit adaperiri?

*Unus militum latus ejus lanceâ aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua. Joan. 19. 34.*

I.

Jo. 5. 3.

**P**riusquam Filius Dei fuit incarnatus, erat hic mundus quasi Probatica piscina, in qua jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Inter illos languidos erat comprimis Adam, proh! quanto tempore expectavit, ut veniret quisquam, qui ipsum in piscinam mitteret, & sic sanum faceret. Venit ille homo, imò DEUS & homo Christus, ipsum interrogans: *Vis sanus fieri?* Respondit Adam: *Hominem*



nem non habeo. Noli dicere: *Hominem non habeo*; En habes hominem, quem tibi monstrat Præses Romanus: *Ecce homo*: qui pro te & posteris tuis similibus prævaricatoribus nunc pendet in ligno, & tua luit, ac solvit posterorum delicta, de quo Isaias: *In misericordia sempiterna miser-  
tus sum tuis; dixit Redemptor tuus Dominus.* Isa. 54. 8.

Et quia in finem dilexit nos, etiam post finem vitæ non cessavit diligere nos, in cuius amoris signum sacratissimum latus, imò & cor suum crudeli militis lanceâ adaperiri voluit, *ut prævaricatores redirent ad cor.* Unde S. Bernhardus: *Permittit sibi cor aperiri, ut nos certos redderet, quòd non solum lingua, sed & corde diligeret.* O bone Jesu! quis non amet te pendentem in cruce? O anima peccatrix, quid rependes pretiosissimo Redemptori tuo pro te tot affecto contumeliis, tot presso doloribus, tot fauciato vulneribus, & nunc aperto latere & corde transfixo clamanti ad te: *Præbe fili mi, cor tuum mihi?* Ezech. 18. 32. S. Bernh. de Pass. Dom. Prov. 23. 26.

2. Quærebant inimici Christi animam ejus in diversis corporis partibus, anima enim est in toto corpore, & in qualibet corporis parte. Quærebant eam in capite, ubi maximè suas exercet vitæ operationes, ideo dederunt ei alapas, & percutiebant caput ejus arundine, & imposuerunt ei coronam de spinis, quarum septuaginta duæ hoc divinissimum caput graviter fauciarunt. Quærebant eam in manibus ac pedibus, quia *anima mea*, ait Vates Regius, *in manibus meis semper*, ideo ferreis eas, & pedes perforarunt clavis: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Marc. 15. 19. Psal. 118. 109. Psal. 21. 17. Quærebant eam in toto corpore, proinde flagellarunt eum, ut in toto corpore à planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas. Et quid ultra fecerunt? hoc illis in mentem venit, quia cor est primum vivens & ultimum moriens, igitur quæretur cor. Et ecce adstat in tempore truculentus miles, vibrat lanceam, dexterum ejus latus aperit: *Et continuo exivit sanguis & aqua.* Supra quod S. Ambrosius: *Exivit sanguis & aqua, aqua ut mundaret, sanguis ut redimeret.* Veni igitur anima mea pretioso Christi sanguine redempta, veni, & lava maculas tuas in sanguine Agni. O quam salutare lavacrum. Isa. 1. 6.

3. Naamo Syro diviti sed leproso ab Eliseo quondam dictum est: *Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Et quid sequitur? *Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* Hoc & ego dico tibi, anime mi! fortasse lepram occultam habes in conscientia & anima tua: *Lavare, & mundaberis*; Lava te septies in septem Christi Jesu sanguinis profusionibus, ac præsertim in sacratissimo & aperto ejus latere, lavacrum enim est, in quo à cunctis peccatorum maculis mundaberis; Fons est patens in abluionem peccatoris. Medicina cœlestis. 4. Reg. 5. 10.



S. Bernh. ser.  
de Pass. D.

lestis est, & pharvacum sanans nostras infirmitates; unde rectè Mellifluus: *Filius Dei altissimi iubetur occidi, ut vulneribus meis, id est peccatis pro-  
tioso sui sanguinis balsamo mederetur.* Et subiungit: *Agnosce, ô homo, quàm gra-  
via sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari;* Olim fons  
latens in sinu Patris fuit, nunc factus est fons patens in cruce & in sinu  
Matris Virginis, quando post apertum latus de ligno depositus est in  
amplexum Virgineum; pedes dedit peccatoribus, & Magdalene, ma-  
nus amicis, ut Petro; cor dat filiis, quibus dicit: *Ad ubera portabimini.*  
Ecce quàm liberalis est in te DEUS, quàm tu parcus in illum, ut pro  
tanto sanguine ne lacrymam stilles, neque consideres corde!

Ma. 66. 12.

4. David, ubi percussit Philistæum, victor in urbem Jerusalem  
ingressus, in omnibus triviis & plateis illud mulierum audivit congra-  
tulatorium canticum: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Displicuit  
hic sermo in oculis Saul, proinde irâ percitus, & plenus indignatione  
nitebatur Davidis pectus crudeli lanceâ transfigere: *Tenebâtque Saul lan-  
ceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete.* O ingra-  
titudinem vix auditam; priùs David eum à maligno liberavit spiritu, &  
pro salute totius regni se contra Goliath exposuit, nunc aliam non re-  
perit mercedem, quàm ut lanceâ illius latus transfigatur.

1. Reg. 18. 7.

Figuram percepisti in Christo expletam, qui priùs pertransiit be-  
nefaciendo omnibus, nunc pro gratiarum actione non aliam accipit  
mercedem, quàm crucem, clavos, lanceam. Audi verba dolorosæ Ma-  
tris ad S. Birgittam: *Stantibus turbis in circuitu, unus accurrens cum furia ma-  
xima venit, & infixit lanceam in latere dextro tam vehementer & valide, quòd  
quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire. Et cum extraheretur  
lancea de corpore, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi qui-  
dam fluvius sanguinis & aqua.*

Revelat. lib.  
7. c. 15.

5. Recordor hic Evæ primæ omnium viventium Matris, quare à  
DEO ex latere Adami fuerit procreata, & ædificata in mulierem. Cur  
non ex capite illius, aut ex pedibus? Rationem assignat S. Doctor An-  
gelicus, Evam formari non decuit ex capite, ne viri Domina videret-  
tur, neque ex pedibus, ne à viro conculcanda videretur; sed ex latere  
cordi proxima, ut tenerè diligenda intelligeretur. Sed alium sensum  
hic inquiri: Per Evam cunctorum hominum Matrem Ecclesia præ-  
signata est, quæ ex latere Christi crucifixi formata est, ut testaretur  
pietissimus Redemptor ac sanguinum Sponsus, se eam summo amo-  
re & charitate diligere. Audiatur S. Augustinus: *Propter hoc, inquit,  
prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque vi-  
vorum, magnimque signavit bonum ante magnum pravationis malum: Et secun-  
dus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, qua de  
latere*

S. Th. p. 1.  
c. 92. a. 2.

S. August. tr.  
120. in Joan.



latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius? Ad quod jam pridem poenitens David anhelabat, cum mundari desiderans, ita oraret: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Psal. 50. 3.

6. Et quid ulterius dico de hoc aperto Crucifixi laterali vulnere? Porta vitæ est, idè enim mitissimus Dominus lanceâ latus suum aperiri voluit, ut orbi universo suæ mortis indicaret fructum, qui est aperire nobis cœli portam. Proinde rectè notat S. Augustinus, quòd Evangelista non dixerit: *Percussit, aut vulneravit latus ejus, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* S. August. loc. cit.

Paradisus & hortus deliciarum est. In paradiso enim voluptatis collocavit DEUS primum hominem. O si nunquam peccasset, non in tantam mortalitas humana devenisset miseriam. Sed DEO sint laudes infinitæ, per unum hominem mors, & per unum hominem crucifixum vita æterna. O certè felix Adæ culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Vade anima peccatrix, cum dolore & amore ad sacratissimum laterale vulnus, & per illud ad divinissimum Cor JESU, & dulcius quid esse potest? Vade, vade, & noli tardare, invenes hic novum deliciarum paradisum.


Mare rubrum est, in quo submersi sunt Ægyptii, Israelitæ verò salvati, quibus planum iter ad terram promissionis aperuit. O anima Christiana! si angustiâ, si tribularis, vade ad hoc mysticum mare rubrum, quod submerget, & extinguet peccata tua, & tibi securam ad terram promissionis monstrabit, & aperiet viam. Exterriti quidem sunt Hebræi ad primum conspectum maris rubri, sed ubi ducem suum Moysen secuti, & ingressi sunt: *Terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Sap. 19. 7.

Exterrent te peccata tua, ut ingredi præsumas in SS. Cor JESU, sed noli desperare, ostium adhuc apertum est, si processeris intrò cum vera fiducia & in animo contrito, fiet tibi campus floridus & hortus deliciarum, quia non idè passus est, ut te damnaret, sed ut salvaret. Ubi est fiducia tua in meritis Crucifixi JESU? *Et si ambulavero, in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22. 4.

7. Expertus est nobilissimus ille Juvenis B. Joannes de Incontris, in paterna quidè domo in deliciis educatus, sed ubi agnovit non aliam in cœlum esse viam, quàm cruem portare post JESUM, sæculo valedixit, & ordinem S. Augustini ingressus est. Nec deerant tentationes in novitiatu, hinc in gravem animi mœrorem incidit. Et ecce cum in procinctu est ordinem deserendi, alloquitur eum crucifixus



fixus Dominus: *Fili, ubi cibus tibi aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigilia, ingredi in vulnus hoc, & intinge illa in sanguine lateris mei, & illa dulcescent omnia.* Obtemperavit Juvenis monenti, sanctè vixit, & inter amplexus crucifixi Amoris sui beatam animam expiravit.



## CONSIDERATIO CIV.

### De clavis & lancea, quibus Sacratissimum Corpus Jesu crucifixi perforatum fuit.

*Foderunt manus meas, & pedes meos. Psal. 21. 15.*  
*Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Jo. 19. 34.*

I.

Habac. 3. 4.  
 S. Cyprian.  
 de Pass. Chr.

**R**Estè Habacuc Propheta de Christo, suo tempore pro salute totius generis humani crucifigendo vaticinatus est: *Cornua in manibus ejus.* Supra quod pereleganter S. Cyprianus antiquitate, doctrinâ, & sanctitate celeberrimus hanc tulit sententiam: *Erant in manibus ejus duo cornua (duo nimirum clavi ferrei) in quibus erat sortitudo tua abscondita, & imperium tuum.* Ex mox addit: *Consideravi opera tua, & expavi: Clavis sacros pedes terebrantibus, fossis que manibus de vulnere &c.*

Fuit autem mitissimus Dominus in crucis trunco quatuor affixus clavis ferreis, licet hoc Scriptura non indicet, efficax tamen probat ratio, & S. Joannes, qui huic cruentæ interfuit crucifixioni, ait: *Milites ergo cum crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Ex quibus verbis SS. Patres annotare solent, quòd quatuor fuerint crucifixo, & quòd Christus non tribus, sed quatuor oblongis clavis fuerit affixus cruci.

Quod etiamnum probant antiquissimæ crucifixi Salvatoris nostri imagines, prout videre est Romæ apud S. Petrum, & apud S. Joannem Lateranensem; Item Lucæ in Hetruria in imagine lignea per Nicodemum pro sua devotione excisâ, & Syroli propè Lauretum, imò in ipsa Alma Domo, ubi Verbum Divinum incarnatum fuit, &

Apo-